

Xa  
2061a

ARCHIEPISCOPATUS X 2003611  
PARTHENOPYRGICUS  
SECULARISATUS,

VEL

NOVUS DU-  
CATUS  
MAGDEBURGICUS,

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO  
ELECTORI BRANDENBURGICO  
SINGULARI NUMINIS BENIGNISSIMI PROVIDENTIA  
COLLATUS

ET

IPSO HOMAGII HALIENSIS TEMPORE,  
*DIE NIMIRUM QUARTO JUNII*  
*ANNI M. DC. LXXXI.*

QVO ANNO SUPERIORE  
ULTIMUS

ARCHIEPISCOPATUS ADMINISTRATOR  
E VITA DISCESSIT  
*SUBIECTISSIMÆ GRATULATIONIS ERGO*

ORATIONE CONCISA

EXHIBITUS

AB

ELIA ANDREA SCHUBARTO,  
HALLA SAXONE.

HALLIS SAXONIÆ.

LITERIS & SUMTIBUS DAVIDIS SALFELDII, TYPOGR. AULIC.

Editio altera,



21  
GLORIOSISSIMO NOMINI  
*SERENISSIMI AC POTENTISSIMI*  
*PRINCIPIS AC DOMINI,*  
DOMINI FRIDERICI  
VVILHELMI,

MARCHIONIS BRANDENBURGICI,  
SACRI ROMANI IMPERII ARCHICAMERARII ET  
ELECTORIS

SUPREMI PRUSSIAE  
NEC NON MAGDEBURGI, JULIAE, CLIVIAE, MONTIUM,  
STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VAN-  
DALORUM, ET IN SILESIA CROSSENSIUM  
ET CARNOVIENSIIUM

DUCIS,  
BURGGRAVII NORIMBERGENSIS, PRINCIPIS HALBER-  
STADIENSIS, MINDENSIS ET CAMINENSIS, COMITIS  
IN MARCA ET RAVENSBERG, DYNASTAE IN RA-  
VENSTEIN TERRARUMQUE LAIENBURG  
ET BUTTAU &c. &c. &c.

*ELECTORIS AC DOMINI SUI*  
*CLEMENTISSIMI*

INTER GAUDIA, PLAUSUS AC VOTA DE AVTOPROSOPICO  
EOQUE GRATIOSISSIME SUSCEPTO HOMAGIO  
OMNIUM ORDINUM DUCATUS MAGDEBURGICI

PUBLICA,  
AUSPICIA FELICISSIMA ET PERPETUAM PROSPE-  
RITATEM HUMILLIME APPRECATUS  
ORATIONEM HANCCE NON UT MERETUR MATERIA,  
SED PROUT ADMISIT AETAS INSUBIDE

CONSCRIPTAM  
SUBJECTISSIMA ANIMI DEVOTIONE CONSEGRAT  
*OBEDIENTISSIMUS*

ELIAS ANDREAS SCHUBARTUS,  
ANDR. CHRISTOPH. SCHUBARTI, S.S. TH. DOCTORIS,  
TEMPLI ULRIC, PASTORIS ET GYMNASIARCHAE FILIUS,

*I.N.D.*



I. N. D. T. O. M.

# ORATIO DE NOVO DUCATU MAGDEBURGICO.

*Nescio, Viri Magnifici, Nobilissimi, Maximè Reverendi, Consultissimi, Amplissimi, Excellentissimi, Clarissimi, Patroni, Promotores, Præceptores ac Fautores observandi, vosq; Sympalestri & favissimi.*

Nescio, inquam, quâ natale solum dulcedine cunctos  
Ducit, & immemores non finit esse sui.



Quod Homerus, Poëtarum Coryphæus, ingeniosissimi Ulyssis luculento comprobavit exemplo, quem adeo patriæ amantem introduxit, ut si modo fumum sibi de genitili terra exeuntem videre liceret, haud reluctaretur mori, siquidem utilitate vel necessitate urgente, patriæ plus ac parentibus ipsis, vitæ nostræ fontibus ac autoribus ex præcipuorum Philosophorum censura debemus. Maxima pars nostrorum singulari Dei clementiâ talem adeptæ est communem patriam, quæ inter omnes ferè nobiles Germaniæ provincias caput in tantum erigit, quantum, ut cum *Marone* loquar, inter Viburna Cupressi. Si igitur à Quinto Mutio *Scavola* reprehensus fuit *Publius Servilius Sulpitius*, egregius ille civis Romanus, quod jus urbis ejus, in qua versaretur, ignoraret, quanto reprehendendi magis, qui rationem statumq; loci illius, in quo aut nati & educati, aut commorantur, & cujus se cives, incolas, hospitesq; profitentur, non qualemcunq; se sibi comparârunt notitiam, in primis cum nullus hodiè tam inaccessible, tam ab omni hominum consortio remotus sit locus, quem non Regionis nostræ fama pervaserit. Animus proinde mihi est dicere, & eâ quâ fieri poterit, brevitate verba facere de hac ipsa, in qua vivimus, quamq; inhabitamus, Regione, de NOVO nempe DUCATU MAGDEBURGICO, patria nostra communi favissima. Quod argumenti genus præsentis temporis, quo *Serenissimum ac Potentissimum Electorem nostrum* Homagium à nobis subditis suis clementissimè suscepturum audimus, haud inconueniens esse existimo. Vos autem Viros magnos & auditores singulos reverenter & humaniter rogo, ut mihi sine omni verborum furore comptuq; sententiarum verba facienti, benignas ac benevolas aures accommodare velit, quod eò promptius eoq; lubentius facietis, si memineritis effati illius poëtici

Et pius est, Patriæ facta referre, labor.

) 2

DUCA-

**DUCATUS MAGDEBURGICUS** ad circulum Saxoniae inferioris perti-  
 nens (1.) cui ab Oriente Misnia & pars Saxoniae superioris, à Meridie Principa-  
 tus Anhaltinus, ab Occidente Principatus Halberstadiensis, à Septentrione  
 Marchia vetus Brandenburgensis ac Ducatus Brunsvicensis collimitantur (2.)  
 denominationem suam sortitus est ab urbe Metropolitanâ Magdeburgo, cu-  
 jus vetustissimos possessores non nullos *Gomeros* & cumprimis *Ascanes*, qui &  
*Tuiscones* & *Teutones* (3.) vocantur, ab Ascanie filio Gomeri ortos, ex Asia in Eu-  
 ropeas oras Germaniamque appulsos fuisse, ex historiis conjici potest. Hos  
 secuti sunt *Longobardi*, die *langen Börder* / à quibus tractus ille, in quo Magde-  
 burgum situm est (4.) adhuc hodiè die *lange Börde* / hoc est, die *lange Streck-*  
*der lange Platz* oder die *lange Ebene* dicitur, cujus incolæ cum Rege suo Al-  
 boino anno quinquagesimo sexagesimo octavo in Galliam Cisalpinam (5.)  
 progressi, regnum Longobardicum inchoârunt, post reditum autem *Syebos*  
 five *Svevos* hæcce loca occupâsse deprehenderunt. (6.) Verùm ut sunt rerum  
 humanarum vicissitudines eaque crebris subindè & continuis motibus atq;  
 mutationibus obnoxia: Ita etiam Longobardi, etsi expulsis Svevis pristinas  
 suas fedes iterum recuperaverint, à *Sclavis* Sorabis tamen, qui & alio nomine  
*Vendi*, nostro idiomate *Wenden* appellantur, successu temporis deleti sunt, si-  
 quidem historicorum monumenta indicant, Sorabos præter Lusatiam supe-  
 riorem & Misniam totum ad Albim & Salam (7.) tractum ad Hercyniam us-  
 que Sylvam multos annos tenuisse, & fortiter atq; strenuè defendisse. At ii  
 non contenti eâ terrarum amplitudine, elatione animi victoriarumque fre-  
 quentiâ elati, negotium subindè finitimis Saxonibus, Thuringis & Francis fa-  
 cessentes & ipsis periculosa & veluti perpetua bella inferentes masculè hujus  
 populi vim & actiones ægrè sæpè & difficulter sustinuerunt, usq; dum Impe-  
 ratoris Caroli Magni, herois illius fortissimi, potentiâ & virtute fracti victique  
 vel domicilia ad Albim & Salam adeoque hisce in locis constituta desere-  
 re, vel officiorum & religionis communicatione deliniti miserimæ servitutis  
 jugum volentes nolentes suscipere cogebantur. Sicuti posterioribus tempo-  
 ribus & reliqui Sorabi ab Heinrico Aucupe & Ottone Magno paulatim re-  
 pressi, atque ab Alberto demum Urso & cumprimis Henrico Leone continuis  
 bellis cæsi partim & deleti, partim in extremam miseriam, uti in Lusatia aliisque  
 in locis, ubi gentis illius adhuc reliquiae hærent, videre est, coniecti, & in eo-  
 rum locum novæ Germanorum coloniae introductæ fuerunt, prout apud  
 Kranzium (8.) rerum Germanicarum historico, de Saxonica gentis vetusta  
 origine longisque expeditionibus susceptis prolixè videre est. Sorabis ergò  
 hisce in locis ita debellatis, incolæ non linguam tantum Germanam veluti post-  
 limiò receptam, mutarunt, sed & mutatam gubernationis formam sub clientela pri-  
 mum Imperatorum Romanorum esse cœperunt, constituto quippe à Carolo  
 M. illis præfecto generali *Wittekindo*, ultimo Saxonum Rege Ethnico & pri-  
 mo Duce Christiano, cui rerum gestarum celebritas & amplitudo nomen *ma-*  
*gni* & Herculis Germanici peperit, usque dum ab Ottone hujus nominis primo  
 Anno salutis DCCCCLXV. *Archiepiscopatus Magdeburgensis fundatus* (9.)

(1.) *Limneus Jur. publ. Tom. 3. l. 7. c. 31.* (2.) *Autor des istlebenden Europa part. 3. p. 205.* (3.) *Ernest. Brotuff. Chron. Martisb. l. 1. c. 1. & c.* (4.) *Attestante scripto, quod die jämmerlich betrubte Prophetin Fr. Sybilla Magdeburg nominatur.* (5.) *Chronicon Carionis l. 3. f. 7. & 300.*  
 (6.) *Witichundus Saxo, Monachus, Corbiensis gestorum Saxonie lib. 1. & Albertus Kranzius in Sax. lib. 1. c. 29. & 30.* (7.) *Chron. Carionis lib. 1. fol. 44.* (8.) *Albertus Kranzius in Sax. lib. 1. 2. 3. & 4.* (9.) *Kranzius in Sax. l. 1. c. 239.*

novendecim auri tonnis (10.) locupletatus & templum cathedrale extru-  
ctum fuit. Carolus enim Magnus ad conversionem Saxonum decem Episco-  
patus sapienti consilio constituerat (11.) nempe Osnabrugensem, Osterwicen-  
sem, postmodum in Halberstadiensem mutatum, Mindensem, Bremensem,  
Baderbornensem, Verdensensem, Monasteriensem, Elzensensem hodie Hildesiae vi-  
gentem, Hamburgensem & Stidensem in Comitatu Schwalenburgico, qui  
tandem à prælaudato Ottone I. Hungarorum victore, in honorem Mauritii  
Martyris Magdeburgum translatus & reliquis prælatus est, siquidem idcirco  
è cœnobio Sancti Maximini, quod Treviri est, Anno Salvatoris 988. ADEL-  
BERTVM, *Borussorum* initio *Episcopum* ab incredulis verò miserè afflictum at-  
que ejectum (12.) evocavit, eiq̃ve consentiente Pontifice, splendidum Archie-  
piscopi primi titulum tribuit. Præfuit is annis XII. calculo extinctus anno 980.  
Succedere ei debebat, ut è Kranzio, (13.) Chytræo, (14.) Beyerlingio, (15.) Poma-  
rio, (16.) Wernero, Backio, (17.) Blavio, (18.) Archiepiscoporum seriem repe-  
tam, Monachus quidam doctissimus artiumq̃ve experientissimus ORTRI-  
CUS vel *Othrich* nomine; Verum Antecessori Adelberto is prædixerat, se De-  
um precibus invocaturum ardentissimis, ne constituatur Archiepiscopus, id  
quod etiam factum est, cum Ortricus mortuus sit Beneventi, in itinere pro  
confirmatione impetranda Romam suscepto, quam tamen historiam inver-  
tit Ditmarus; (19.) Vocatur tamen à nonnullis secundus Archiepiscopus, post  
ejus obitum electus fuit à Capitulo, cui Otto II. potestatem hancce concesserat  
A. 981. tertius Præsul GISELARIUS, *Episcopus Martisburgensis*, mox Simoniae  
accusatus, quod duos in se Episcopatus transmovisset, (20.) Magdeburgensem  
scilicet & Martisburgensem, hoc enim in Germania ante illud tempus inaudi-  
tum fuerat. Citatus igitur ad reddendam factirationem morbum simulans,  
non comparuit, apoplecticus moriens anno Christi 1004. cum præfuisset duo-  
bus & viginti annis. Giselario successus est à Canonicis WOLHARDUS vel  
WOLDRATUS quartus Archiepiscopus; Verum cum DAGANUS (21.) à  
quibusdam DADO, DUDO & TAGMO nominatus, Imperatoris Cancellari-  
us & Sacellanus à Sancto Wolffgango à primis incunabulis piè educatus fuisset  
(22.) Woldratus ei quinto præfuit cessit, magnam Archiepiscopatui accessio-  
nem afferens. Henricus II. Imperator sub eo Sancti Mauritii reliquias ex Ber-  
gensis cœnobio, summi frigoris tempore nudipes in cathedrale templum ipse  
transtulit, & post obitum ultimi Comitis Martisburgensis præfecturam ar-  
cemq̃ve *Giebichenstein* nobis vicinam, Archiepiscopatui tradidit. Sextus Ar-  
chipræsul à Capitularibus electus & constitutus est WALTHERUS, Eques  
Saxonicus, *Ecclesie Metropolitanae Præpositus*, Imperatori Henrico svasor exi-  
stens, ut soror ejus *Amilrada* pagum Olvensted, cum bonis singulis eò perti-  
nentibus, paratâ pecuniâ emtis Archiepiscopatui adderet: Prædictum erat  
ipfi de infula ac pedo Episcopico summo eiq̃dem consequendo, sed non usur-  
pando ac administrando; quod etiam factum, obiit enim Waltherus cum octo  
saltem hebdomatibus sedisset, in cœnobio Bergensi tumultatus. Walthero

( 3

suc-

- (10.) *Matth. Dresserus Isagog. histor. part. 5. p. 414.* (11.) *Hartman. Schedel in Chron. Chronic. fol. 179. seq. & Sebastianus Münsterus in Cosmographia l. 3. p. 1007.* (12.) *Ditmarus in historia Martisb. edit. per Georg. Habn. l. 2. p. 28.* (13.) *Albertus Kranzius in Sax.* (14.) *David Chytræus in Chron. Sax.* (15.) *Laurentius Beyerling in Theatr. vitæ hum.* (16.) *Joh. Pomarius & Andr. Berner in Chron. Magdeb.* (17.) *Reinhard. Backius Præfat. part. 3. Expos. Evang.* (18.) *Gvibelm. Blæu in Geogr.* (19.) *Ditmarus in histor. Martisburgica l. 3. p. 52.* (20.) *Georgius Fabricius in Saxonia illustrata lib. 2. p. 227.* (21.) *Ditmarus in histor. Martisb. l. 5. p. 122. seqq.* (22.) *Raderus de Sanctis Bavaria, vol. 2. ubi cit. Ditmarum l. 5. & 6.*

Successit GERO, *Baro Saxonicus de Gundeswegen* / qvi Magdeburgi templa di-  
 vae Virginis & Sancti Sebastiani struxit, & mœnia urbis ab Ottone Imperatore  
 cœpta absolvit. Octavus in ordine Archiepiscopus fuit HUNFRIDUS, aliis  
*Memphridus* dictus, *Monachus initio Wurzburgensis*, postea verò Imperat. Henri-  
 ci II. Sacellanus, locupletavit is Diœcesin, ædificavitqve Neo-Magdeburgæ  
 templa S.S. Petri & Pauli, nec non S. Nicolai. Nonus ENGELHARDUS, *Im-*  
*peratoris Henrici III. Sacellanus*, cui Henricus quartus tam impensè favit, ut  
 ejus gratiâ Archiepiscopatum tredecim pagis aliisque bonis donaret. Deci-  
 mus WERNERUS, qvem alii WESSILONEM nominant, *Sonnenbergensis in*  
*Svevia Comes* & terræ altæ Dominus, sub quo Crucifixi imaginem copiosam  
 aquam sudasse, pannum scissum sanguinem fudisse, infantes utero inclusos lo-  
 cutos fuisse, aliaqve prodigia accidisse, referunt. Periit is tandem ad fluvium  
 Onestrum in Thuringiâ ex prælio Henrici IV. cum Rudolpho Svevo profu-  
 gus. Undecimus HARDEVICUS, *Comes Spanheimensis*, ex Franciæ Ducum  
 familia ortus, Canonicus Moguntinus & Præpositus Erfurdensis, qvi Vadero-  
 dæ propè Halberstadium, in lecto manè mortuus est repertus, unde fabula,  
 ipsum UDONEM fuisse appellatum orta, & à Drexelio (23) in suo Nicetâ  
 contra omnem historiæ veritatem adducta fuit. (\*) Duodecimus HENRI-  
 CUS, *Comes de Alslo*, Canonicus Hildesianus & Baderbornæ Episcopus; Inde ab  
 Imperatore Henrico pulsus, Magdeburgum veniens, Hartwico autem Ar-  
 chipræsuli & Canonicis familiaris factus, Archiepiscopus postulatus est. Deci-  
 mus tertius ADELGOTUS, *Comes de Loye*, Præpositus templi Halberstadien-  
 sis, templo S.S. Petri & Pauli in Neo-Magdeburga Canonicos præfecit, svaforq;  
 fuit Comiti de Revingen, ut mundo relicto religiosorum cœtui se jungens om-  
 nia sua bona Deo dicaret, id quod postquam factum, ex iis Adelgotus mona-  
 sterium propè nostram urbem, *Novum opus, das Neue Werck* dictum, struxit,  
 ejusqve primum Abbatem Comitem de Revingen fecit. Decimus quartus  
 RUTGERUS, *nobilis à Belfheim* / Canonicus prius Magdeburgensis, Sancti Se-  
 cundi ex Thebanâ legione martyr is exuvias illorum temporum more valdè  
 celebres Magdeburgum duxit. Decimus quintus NORBERTUS, *nobilis Lo-*  
*tharingus*, juxta alios verò *Comes Geneva*, S. Victoris apud Xanthum Haliæ op-  
 pidum Canonicus. Cum enim Archiepiscopatus propter tres Præsules à Ca-  
 pitularibus, non sine discordia, simul electo triceps ferè factus esset, Imperator  
 Lotharius Saxo (24.) aliis omnibus repudiatis, Norbertum Sacellanum suum  
 constituit; Hinc ille Cæsarem in Italiam secutus, facundiâ sua mellifluâ & ad-  
 mirabili, magnam sibi autoritatem comparavit, & sub victricibus Lotharii ar-  
 mis, diffidium inter duos Pontifices, Innocentium II. & Anacletum compo-  
 suit, eoqve titulum PRIMATIS GERMANIÆ, (25.) ad qvem alii Episcopi  
 in Germaniâ omnes respicere & in controversiis ecclesiasticis consilium ac  
 decisionem petere debeant, pro se & omnibus successoribus impetrâsse dici-  
 tur. Struxit monasteria Walckenrad & Gottes-Gnad / propè Calegium:  
 Diœcesin mille & ducentis mansis agrorum auxit, ut & oppidulo Alschleben,  
 post obitum sepultus Magdeburgi in B. Virginis templo, è quo anno hujus se-  
 culi 27. jussu Imperatoris Ferdinandi II. *Pragam* deductus, (26.) sicqve *Bo-*  
*hemie Patronus* factus. Decimus sextus CONRADUS, *Comes Qverfurtensis*,  
 Eccle-

(23.) Hieremias Drexelius in Nicetâ l. 1. c. 4. §. 1. è Joh. Baptista Fulgoso l. 9. c. 12. & Canisio l. 5. ope-  
 ris Mariani c. 20. Bredenb. l. 8. sacr. collat. c. 15. ex Petro Palude Lycosth. l. 12. Theatri, Nau-  
 clerius Chron. vol. 2. gen. 34. (\*) annot. ante Dressero in Chron. Saxon. p. 195. seqq. (24.) Otto  
 Frisingensis l. 2. c. 6. (25.) Matth. Dresserus part. 4. Isagog. Hist. & P. Bertius l. 3. Rer. Germ.  
 (26.) Theatr. Europ. fol. 1044. Hieronym. Kronmaierus Orat. paneg. de bello tricennali  
 Germ. lit. C.

Ecclesiæ Metropolitanæ prius Canonicus, cujus mater Uda vel Itha Imperatoris Lotharii soror creditur. Auxit Diocesin de bonis suis, mansis agrorum octo, nec non villa, cum aliis quatuor mansis. Decimus septimus FREDERICUS, frater Timonis, *Comitis Wettinensis*, cujus parens Conradus, Marchio Misniæ, Archiepiscopatus Thesaurarius fuisse, refertur. Decimus octavus WICHMANNUS, *Comes Segeburgicus*, quem Brunnerus (27.) GVICMANNUM nominat, & familiam ipsius à Comitibus de Degenberg deducit, Episcopus antea Cizensis & Naumburgensis, ab Imperatore Fridrico, dissentientibus Canonicis, constitutus. Omnes antecessores potentiâ superans, Mauritianum apud nos monasterium pro Canonicis regularibus (28.) & Cœnobium Zinna exstrui curavit. Primus monetam cud t majorem, auxitqve Archiepiscopatum Lobechno, Fredelebia, Juterboca, Conaria aliisqve oppidis plurimis. Decimus nonus LUDOLPHUS, humili eqvidem loco, *Croppenstadii* nempe, oppido Halberstadiensi, natus, scholam sedulo frequentans, Parisiisqve postea, annis viginti integris, studiis incumbens, ad eam pervenit eruditionem, ut hac eminentiâ ab omnibus dignus censeretur. De civibus Magdeburgensibus benè mereri studuit; Hundisburgum, Scraplaw, Bornstadium aliaqve oppida Archiepiscopatu addidit; Philippum Imperatorem fideliter juvit contra Ottonem Brunsvicensem, quem Cæsarem Papa volebat, quapropter Imperator censum, quem Imperio Capitulum quotannis debebat, clementissimè remisit. Vigésimus ALBERTUS, *Comes Kirchbergensis* ex Thuringia, primus illorum, qui ab ipso Pontifice tunc Innocentio III. Romæ confirmatus, in superqve Cardinalis in Festo Christi Natiuitio creatus est. Cum Anno 1210. paulo ante Pascha pomposissimè Magdeburgum esset ingressus, funesto prorsus periit incendio, inter alia plurima, templum etiam Metropolitanum primum, quod Albertus mutato loco restauravit, multoqve ornatus fecit, quam fuerat, quo absoluto autor dicitur factus nundinarum vel Missæ illius solennis, vulgò die *Herrn-Messe* (29.) ideo sic dictæ, quòd non à vicariis, ut alias sæpiusculè in anno fiebat, sed ab ipsis Dominis Canonicis in Mauritiæ honorem celebrari deberet. Vigésimus primus BURCHARDUS, *Præpositus Hildesimensis*, electus quidem, at non investitus, cum annis saltem duobus & mensibus novem federit, mox ad plures abiens. Vigésimus secundus WILDEBRANDUS, *Frater Alberti Archiepiscopi*, Comitum Kirchbergensis, arma apprehendit unâ cum Ludolpho, Halberstadiensium Episcopo, adversus Joannem & Ottonem, fratres Marchiones Brandenburgicos, sed ab his Halberstadiensis cum LX. nobilibus captus, & Magdeburgensis, acceptis vulneribus aliquot, fugâ vix salvatus est. Vigésimus tertius RUDOLPHUS *de Drungensted*, alii vocant à *Dingelsted*, Comitatum Alvenslebiensem Archiepiscopatu addidit, subitaneâ tandem morte inter prandendum hinc abruptus. Vigésimus quartus RUPERTUS, *Comes Mansfeldicus*, Decanus Capituli, Judæis valdè infensus, unde sub Tabernaculorum festo eos suppressit, 100000. marcis argenti emunxit. Vigésimus quintus CONRADUS, *Comes Bohemus à Sterenberg*, Ruperti Archipræfulis Cancellarius, Judæorum æqvè ut Antecessor hostis, cumqve Magdeburgi ut plurimum resideret, conclave amplum valdè pro ministris in aula Archiepiscopali struxit, lignis à Bohemorum Rege ad id donatis. Vigésimus sextus GUNTHERUS, *Comes de*

( 4

Schwa-

(27.) *Andreas Brunnerus*, l. 12. *Annal. Boicorum* p. 375. (28.) *Maderus in Chron. montis ferreus* p. 63. (29.) *Speidelius in Notabil.* p. 656.

*Schwalenberg*, qui vix anno sedit, bellique cum Marchionibus Brandenburgi-  
 cis, Erico imprimis, pertæsus, vitam tranquilliorē quærens, Archiepiscopali  
 officio se abdicavit. Vigésimus septimus BERNHARDUS, Comes de  
*Welppe* vel *Bölpe*, vir sincerus quidem & subditorum amans, malis tamen  
 multis implicatus ob bella, quæ gessit cum Ottone, Marchione Brandenburi-  
 co, Alberto Brunswicensi & aliis, quapropter etiam Archiepiscopatum resi-  
 gnavit, & quidem tantâ ammonæ laxitate, ut duobus nummis gallina, modius  
 frumenti nummis viginti duobus, & octo haleces nummo unico emerentur.  
 Vigésimus Octavus ERICUS, *Marchio Brandenburgensis*, à Canonicis post bi-  
 ennem sedis vacantiam electus. Vigésimus nonus BURCHARDUS, Comes  
 à *Blanckenburg*, qui sub ditione Wolmirstadianâ, ex quodam Albi loco spiri-  
 tus malos, nautis piscatoribusque infestos, precibus suis pepulit, unde lacus  
 iste adhuc hodiè stagnum sacrum, *Heilig-See* dicitur. Trigésimus HEN-  
 RICUS, *Princeps Anbaldinus*, Schönbeccam expugnavit strategemate, mi-  
 litibus onerans currus aliquot tectos, quibus oves & anseres foris appende-  
 bantur, ac si loci mundinas visitare vellent; sub portis verò constitère currus,  
 sicque ab armato milite proficiente, & sequentibus Archiepiscopi cohortibus  
 oppidum expugnatum est. Trigésimus primus BURCHARDUS, *Nobilis*  
*Dominus à Schraplaw*, Civibus Magdeburgicis modis omnibus incommo-  
 davit, census ex agris ad eos redundantes prohibens, urbemque obsidens &  
 rigida nimis exigens, captus tandem & in curiam civitatis deductus, cum vi-  
 gilibus inebriatis fugam meditaretur, pessulo ferreo trucidatus est. (30.) Tri-  
 gesimus secundus HEIDECCUS vel *Heidecke* ab *Erßen* / *Capituli Decanus &*  
*Juris Canonici Doctor*, senex jam decrepitus, qui cum Romam tenderet pal-  
 lium petiturus & confirmationem, prope Isenacum captus, & præ consterna-  
 tione inibi mortuus est. Trigésimus tertius OTTO, *Landgravius Hassie*,  
 sedavit Magdeburgi seditionem inter plebem & ditiores, recuperavit Al-  
 venslebiam & Hundisburgum à Brunswicensi occupatum, (31.) revocavit Se-  
 natores ob Burchardi cædem exulantes, struxit arcem Angern prope Wol-  
 mirstadium, eaque unâ cum urbe Sandau Diocæsin auxit. Trigésimus quar-  
 tus THEODORICUS, *Stendaliensis Marchicus*, textoris lanifici filius, ex mo-  
 nasterio, cui parentes eum manciparant, Romam proficiscens, in ipsam Ponti-  
 ficis aulam promotus & Episcopus initiò Mindensis, tandemque ex volunta-  
 te Imper. Caroli IV. impensè ipsi faventis, Archipræsul Magdeburgicus factus  
 est. Oppignorata Diocæseos bona, oppida, pagos & vectigalia redemit: Ar-  
 cem Gibichenstein collapsam restauravit, Calbensem verò ut & Sandavien-  
 sem de novo struxit, præferri semper sibi curavit crucem auream in bacillo  
 argenteo. Trigésimus quintus ALBERTUS, *Dominus de Størenberg*, Epi-  
 scopus Olomatiensis Bohemus, erat hic linguam Germanicam non callens  
 exterorumque pompis asvetus ac lautitiis, thesauro ex bonis & clinodiis Ec-  
 clesiæ collecto, post triennium Archiepiscopatu se abdicans, Litomisliensem  
 præsulatum adiit. Trigésimus sextus PETRUS de *Bruma*, qui cum Episco-  
 patum Litomisliensem jam dicto Alberto tradidisset, Archiepiscopus Magde-  
 burgensis, Papa & Cæsare sic volentibus, factus. Schönbeccam & Wansle-  
 bium arces emit: Sacellum valdè elegans sub aula Archiepiscopali in hono-  
 rem Sancti Gangolphi struxit. Tandem molestiarum nostris Hallensibus &  
 Magdeburgensibus civibus, ob quod litigium nescio, illatarum pertæsus, ipse  
 officio

(30.) Quid ante & post ejus cædem contigerit legatur apud Job. Ang. à Berdenhagen *Rerump.*  
*Hanseat. part. 2. cap. 21.* (31.) Brunnius in *triade Elect. polit. fol. 229.*



officio se abdicavit in Bohemiam reversus. Trigesimus septimus LUDO-  
 VICUS, *Marchio Misnia*, ut Præsulatum Moguntinum, ad quem jam dum  
 postulatus erat, retineret, non Archiepiscopus sed Administrator saltem Mag-  
 deburgicus dici voluit, & Pontifex etiam id concessit. Promulgabat is Anno  
 1382. Principibus passim & Archiepiscopatus Proceribus, nec non ipsorum  
 conjugibus ac filiabus celebranda Bacchanalia, in quibus ubi multi comparuê-  
 re, & saltationem in curia Calbenfi instituere, oritur incendium, hominesque  
 consternati certatim gradus occupant, qui licet conciderent, & lapsos penè  
 300. magnam læderent partem, evaserunt tamen viri omnes, solo Archiepi-  
 scopo cum aliis duobus miserè attrito. Trigesimus octavus FRIDERICUS  
*ab Hoym*, Episcopus Martisburgensis, quem quidem Diœcesis recepit, Mag-  
 deburgum verò & Hala ob pallii defectum fidem detrectavit: Martisburgi igi-  
 tur in morbum incidens, flagrante Cometâ obiit. Trigesimus nonus AL-  
 BERTUS, *Comes de Qverfurt*, bellum evitare volens, non potuit. Rudolphus  
 enim Dux Saxonie, Diœcesin, ipso absente, invasit; Coniuncti hinc Capitulum  
 & cives Magdeburgenses Saxonie ditionem vicissim aggressi sunt & depo-  
 pulati. Quadragesimus GUNTHERUS, *Comes Schwarzburgicus*, Præposi-  
 tus Moguntinus & Coadjutor Magdeburgicus, qui sopitis controversiis ali-  
 quot novas subinde reperit. Bellum gessit cum Anhaltinis, cinxitque oppi-  
 dum Köthen, sed Saxone suam interponente auctoritatem, destitit. Prohibere  
 conatus est, ne Magdeburgenses urbem munirent: sed illi opem expetentes  
 à Marchione Brandenburgico Joanne, Brunsvicensi Duce Henrico, nec  
 non urbibus Halâ, Brunsvigâ, Ascherslebio, Servestâ, Præfule Calbam, Salzam,  
 Stasfurtum & alia eripiebant oppida, quoad tandem certamen interponenti-  
 bus sese Principibus aliquot sopitum. Quadragesimus primus FRIDERI-  
 CUS, *Comes à Beichlingen*, Güntheri consiliarius intimus aulæque præfe-  
 ctus; Hic ille ipse est, cui Fridericus II. Saxonie Elector cognomento placidus  
 bellum inferre cogitans (32.) exploratorem emisit, qui ante expeditionem de  
 consiliis & apparatu Archiepiscopi ad bellum propediem futurum cognosce-  
 ret. Factum, exploratis omnibus, renunciatum est, quiescere Archipræsu-  
 lem, curare Ecclesiasticum suum munus, causam Deo committere, & à nullo  
 prorsus hoste metuere sibi, hoc ut Elector audivit, depositis protinus armis  
 dixit: Amens sim utique, bellum si huic inferam, qui Deo confusus, omnia ei  
 committit. Quadragesimus secundus JOHANNES, *Dux Bavariae & Palati-  
 nus Rheni*, Episcopus Monasteriensis, præbuit Magdeburgo locum pro fossa  
 conficienda, quæ Neo-Magdeburgum à veteri, Albim versus separat, usque  
 ad urbis portam, quæ *Rröcken-Thor* dicitur. Quadragesimus tertius ER-  
 NESTUS, *Dux Saxonie*, Electoris Ernesti filius, cui Episcopatum Halbersta-  
 diensem quoque resignavit Gebhardus ibidem Præful, sicque & Magdeburgen-  
 sium & Halberstadiensium Episcopus factus est. Arcem nostram Mauritia-  
 nam, die *Moritzburg* (33.) anno M. CCCC. LXXXIV. struere cœpit, unâ cum  
 Sacello valdè eleganti, sine ullis subditorum vel sumtibus vel servitiis. Ac-  
 cesserunt eum ante obitum duo Franciscani monachi, omnia sua sui que ordi-  
 nis totius merita prolixè offerentes dicendo: Esto bono animo, inclute Prin-  
 ceps, nos enim omnia non tantum nostra, sed & totius Minoritarum ordinis  
 bona opera T. Celsitudini communicabimus, non est dubium, quin illis acce-

(32.) *Georg. Fabric. in Saxonia illustr. lib. 7. pag. 755. & Drexelius in Heliotropio lib. 5. cap. 4. §. 4.*  
 (33.) *Andr. Möllerus in Annalibus Freibergens. p. 118. & Tobias Schmid in Chron. Zwicav. part. 2. p. 266.*

ptis, coram Dei tribunali, consistas beatus & justus. Ille autem respondit: Nullo modo, nec meis ego, nec vestris operibus confidam, sed folius Domini nostri Jesu Christi opera sufficient, in qua sententia è vita emigravit. (34.) Cor ejus exsectum hinc in arcis templo mansit: Viscera S. Gangolphi facellum Magdeburgi habet; Corpus verò sub turribus ibidem conditum est, in monumento orichalceo, quod 1500. florenis aestimatum. Quadragesimus quartus ALBERTUS, *Marchio Brandenburgicus*, Joannis Electoris filius, Archiepiscopus etiam & Elector Moguntinus, nec non Cardinalis Romanus & Episcopus Halberstadiensis, qui in hac civitate & Templum Cathedrale (35.) ad velum aureum, *zum güldenem Vorhange* & Novum ædificium, *das Neue Gebäude* à Ludovico ab Aquila (36.) regia aula denominatum struxit, Quadragesimus quintus JOHANNES ALBERTUS, *Marchio itidem Brandenburgensis*, Alberti dicti patruelis & in Archipræsulatu Coadjutor, Friderici, qui Onoldsbachii sedem aulæ habuit, filius, quæ de eo memoratu digna, Schleidanus aliiqve illorum temporum Historici consignarunt. Quadragesimus sextus FRIDERICUS, *Marchio Brandenburgicus*, Joachimi II. Electoris filius, qui intrapectus ita percussus est, (37.) ut evomeret sanguinem, & anno florentis ætatis vigesimo secundo supremum diem obiret, id quod Anno 1552. ruentes Magdeburgensium turres significasse putant. (38.) Quadragesimus septimus SIGISMUNDUS, *Marchio Brandenburgensis*, frater Friderici, laudatissimus Princeps, Augustanæ Confessioni deditissimus, qui controversiam inter Magdeburgenses & Capitulum composuit, (39.) adjutus à Marchione & Electore Brandenburgico, sicut etiam Jurisdictionem Archiepiscopi & civitatis certis limitibus determinavit, beatè ad plures abiit, post morbum diuturniorem, apud nos in templo arcis terræ datus. Quadragesimus octavus JOACHIMUS FRIDERICUS, *Marchio Brandenburgensis*, Johannis Georgii Electoris filius religiosissimus, pro felicissimo muneris sui exordio, templum Metropolitanum XX annis clausum vicissim aperuit Dom. I. Adventus, introductâ religionis veritate. A. 1570. per Diœcesin abusus Papisticos abolevit, & Evangelicam religionem passim invexit. Conjugio se mancipans, ex Archiepiscopo Administrator factus, nuptiis Custrini celebratis, (40.) uxorem ducens Catharinam, Joannis patruis filiam, ex quâ numerosam sobolem sustulit, opportuno ad serenissimam familiam, quæ ferè ad solitudinem redacta erat, propagandam subsidio. Quod indignè admodum tulit Pius V. & nihil non movit, ut ei Archiepiscopatum abrogaret, sollicitato frustra Maximiliano Cæsare, qui cum videret, id facilius Romæ decerni, quam tutò in Germaniâ executioni demandari, re in longum extractâ, vota & intempestivas Pontificis preces prudenter elusit. Quadragesimus nonus CHRISTIANUS WILHELMUS, *Marchio Brandenburgicus*, Antecessoris Joachimi Friderici filius, annis erat XI. ubi postulabatur, quæ propter decennalis vacantia quoad justam Principis ætatem. Capitulo commissa, regimen verò solenni investiturâ anno ætat. XXI. ipsi Principi concreditum, quod etiam singulari prudentiâ & modestiâ omnigenis decoratus virtutibus \* administravit usque ad A. 1631. quo tranquillitatem & salutem subditorum quærens, bello funestissimo implicitus, in expugnatione Magdeburgi dirissima captus, (41.)

vul-  
 (34.) *Valent. Beyer in Diario histor. p. 414.* (35.) *Topogr. Sax. inf. p. 4.* (36.) *Ludovicus ab Aquila de bello Germ. p. 137.* (37.) *Merian. Chron. p. 821.* (38.) *Flac. in Clav. Script. voc. Turris.* (39.) *Joh. Ludw. Gottfrid in Histor. Chron. part. 7. p. 866.* (40.) *Jacob. Aug. Thuanus lib. 45. histor. & Geograph. Blaviana vol. 3. l. 8. f. 224.* \* *D. Joh. Gerhardus Epist. dedicat. Tom. 4. Loc. Theol.* (41.) *Theatr. Europ. Merian. part. 4. p. 94.*

vilneratus, Viennam Austraiorum traductus & tandem Zinnæ mortuus  
 et. Quinquagesimus & ultimus AUGUSTUS, *Dux Saxonie* Augustissimus,  
 magni animi & ingenii Princeps, cui Archiepiscopatus consuetis solennitati-  
 bus A. 1638 hic Hallis commendatus, (42) cui & belli & pacis tempore quam  
 purimis salutaribus functionibus Ecclesiasticis & politicis religiose optime-  
 ve consuluit, quas in unum corpus congestas habemus, templum cathe-  
 drale hujus urbis pretioso organo pneumatico, altari splendido aliisque egre-  
 giis anathematibus exornavit, cujus Ducalis familiae ac aulae magnificentiam  
 descriptam exhibet hodie viventis Europæ Autor. (43.) Inter Principes Im-  
 perii sui temporis & ætate & regimine factus senior, placidissime cumque ipso  
 ipse Archiepiscopatus expiravit superioris anni & mensis Junii die quarto, de-  
 ductus postmodum lugubri ac solenni comitatu in regionis hæreditariæ se-  
 pulchrale monumentum, quod sibi & serenissimæ familiae Leucopetræ vivus  
 extruxit.

Cum autem expectantia in Archiepiscopatum Magdeburgensem Sere-  
 nissimæ familiae Marchionum Brandenburgensium concessa fuerit (45.) pro  
 compensatione, quod ad promovendam pacem Germaniæ universalem ju-  
 ribus suis, in Pomeraniam citeriorem & Rugiam, ac ditiones locaque alia in  
 ulteriori Pomerania sita cesserit, ita quidem (sicut verba instrumenti pacis  
 (45.) sonant) ut quovocunque eundem Archiepiscopatum morte aut suc-  
 cessione in Electoratu, vel quacunque alia concessione Administratoris Dn.  
 Augusti, Ducis Saxonie vacare contigerit, totus iste Archiepiscopatus cum  
 omnibus eò pertinentibus territoriis, regalibus & juribus Sereniss. Domino  
 Electori Brandenburgico suisque posteris & successoribus, hæredibus & a-  
 gnatis masculis tradatur & conferatur in feudum perpetuum, (titulo Duca-  
 tus,) sitque eidem vel iisdem jus, autoritate propria vacantem apprehendendi  
 possessionem, quæ sicuti etiam à *Potentissimo Domino Electore FRIDERICO  
 VVILHELMO* post beatissimum Reverendissimi Dn. Administratoris obi-  
 tum apprehensa, ita, ut sub felici ipsius Regimine *novus hicce Ducatus Magdebur-  
 gicus*, divinâ benedicente gratiâ, in choro, foro & thoro vigeat ac floreat, annu-  
 at & faxit is, penes quem est constituere & stabilire regna!

Habetis Auditores Magni ac Optimi *Serenissimum Regentem novi hujus Du-  
 catus, Ducatus* inquam, qui *aëris* gaudet clementiâ ac salubritate, siquidem non  
 nimis crassus aut nebulosus, unde nec noxios & contagiosos facile morbos gi-  
 gnens; *Ducatus*, cujus solum passim fertile, frumenti omnis generis ferax, &  
 vicinarum etiam gentium necessitati sublevandæ sufficientissimum. *Ducatus  
 flumina* habentis præter communes maritimas quoque piscibus salmonibus,  
 passeribus, sturionibus, & similibus præditum, è quibus præcipuum & naviga-  
 bile *Albis* ex undecim fontibus (46.) Silæsiæ in montis Gigantæi & Riphæi (47)  
 dem *Riesenberg* ubi spectrum Rübzahl (48.) conspici dicitur, valle, quam ac-  
 colæ den *Teuffels-Grund* appellant oriens, indeque à Saxonibus *die Giffel* (49)  
 vocatus à Latinis verò *Albis*, ab *halb* medius (50.) quia mediam Germaniam  
 secat & in duos alveos septentrionalem nempe & meridionalem se dividit, &  
 aliquot

(42.) Gottfr. Schulgens *Welt-Chronick & Topograph. Sax. inf. p. 112.* (43.) *Das ist lebende  
 Europa part. 3. pag. 204.* (44.) *Limæus in J. P. R. Tom. 4. addit. ad lib. V. c. 7. pag. 825.*  
 (45.) *Osnabrugis inter Imperium & Regnum Sveciæ An. 1648. 27. Jul. 6. Aug. facta art. 11.  
 §. similiter concedatur.* (46.) *Jacobus Schickfusius in Chron. Sil. lib. 4. c. 4.* (47.) *Hene-  
 lius in Silesiograph. cap. 1.* (48.) *Job. Prætorii Rübzahl.* (49.) *Petr. Bertius lib. 1. Rer.  
 Germ. c. 24. p. 192.* (50.) *Scaliger lib. 6. poem. & Martinius in Lex. Philol.*

aliquot infra Hamburgum miliaribus, vastissimo ore in maris Germanici partem, quam illic loci Noord-See vocant, se effundit. Præter *Albim* in hoc Ducatu est flumen *Sala*, è celebris illius piniferi montis (51.) ad fines Palatinatus superioris & Bohemiæ lacunâ, dem *Sichtel-See* / quæ quatuor insignes amne, mirabili naturæ majestate, ad quatuor cardines mundi manantes genera, propullulans, ut sequens habet *Tetraſtichon*: (52.)

Quatuor effundo fluvios mons pinifer: Ex his

Ad terræ partem quamlibet unus abit.

*Mænus* ad occasum fertur, sed *Nabus* ad Austrum,

*Egra* ortum, Boream denique *Sala* petit.

Quæ Varisciam & Thuringiam perfluens nostram civitatem gratâ vicinatis salutatur, aliosque fluvios, *Elmum*, *Onestrum*, *Elystram*, *Wipperam*, *Budam*, in Comitatus Herciniæ Reinsteinnensis petrosi montibus, der *Rosstrapp* dictis, originem ducentem, absorbens, *Rosenburgi* in *Albim* se exonerat, quam à *Sals* proventu nomen habere putant.

*Urbes ac oppida Ducatus* complectitur quamplurima, è quibus celebritatis majoris sunt *Magdeburgum*, à *Pirckhamero* (54.) & *Werdenhagio* (54.) pro *Ptolomæi* *Mesovio* venditatum, nomen compositum habens à *Magd* / quod puellam, & *Burgum*, quod arcem significat. *Aeneas Sylvius* *Virginopolim*, *Ligurinus* *Virginis Urbem*, *Capnio* vel *Reuchlinus* *Dmoadam* *Pyrgum*, alii *Parthenopolim* vocant, causamque appellationi dedisse ferunt, quod ibi *Venus*, juxta *Brotuffium* à Germanis *Magada* vocata, currui deaurato insidens (55.) tresque *Charites* seu *Gratiæ*, quæ *Virgines* seu *puellæ* finguntur, longo temporum serie sacro fuerint honoratæ cultu, & quod primum, ut vox *Burgi* indicat, arx saltem quædam à *Druso* Romano ejusque filio *Germanico* exædificata (56.) ibi extiterit, ab Imperatore *Carolo M. Wittekindo* tum temporis ad christianam religionem accedente donata, usque dum ad *Editham* *Otonis* primi conjugem pactis dotalitiis pervenerit. Hæc loci commoditate inducta, à *Cæsare* licentiâ condendæ urbis precibus impetrata, animo suo morem gessit, urbemque ædificare aggressa est, (57.) quam etiam muro circumdare cœpit ipse Imperator, & in ea cœnobium *S. Benedicti* (58.) fundare, quod postmodum facta demolitione extra urbem, in collem seu montem, à quo *Bergense* dicitur, (59.) translatum, ejusque in locum templum cathedrale primum magnifice exstructum est. Hinc civitas gratitudinis ergo Imperatori statuam lapideam in foro erexit, quæ æquitantem eum & utrinque stantes conjuges *Editham* & *Adelheidam* repræsentat. Est etiam ejusdem exuviis (60.) constructum sacrarium cum altari marmoreo in altero templo cathedrali postquam primum igne periit, ubi in marmore albo excisa illius effigies tabellam rotundam manu tenens, in qua globuli conspiciuntur novendecim, tot tonnarum auri indices, quas Archiepiscopatui donavit. Et quoniam *Carolus M.* arcem, quam olim *Burggravi*, hoc est præsides limitanei

Roma-

- (51) *Georg. Braunius* *Theatr. Urbium* V. n. 48. (52) *David Vechnerus* in *Breviario Germ.* pag. 9. (53) *Bilibaldus Pirckamerus* in *Geograph. super Tabulas Germ.* (54) *Job. Ang. Werdenhagen* *Rerump. Hans.* part. 3. (55) *Albert. Kranzius* in *Sax.* lib. 2. c. 12. p. 37. *Sebastianus Munsterus* in *Cosmograph.* lib. 3. p. 1006. *Matthie Qvadens* *Deutscher Nation Herrligkeit* cap. 61. p. 231. *Chron. Brunsv.* p. 29. (56) *Job. Raume* in der *Weltbeschreibung* part. 2. c. 17. p. 492. (57) *Otto Frisingensis* l. 6. c. 20. (58) *Romanus Hay* in *Aula Eccles. & Horro Crusianop.* 489. (59) *Heinric. Petreus*, de *Monasteriis* P. 9. & *Chron. Brunsv.* p. 58. seq. (60) *Christoph. Lehman* in *Chron. Spirensi* lib. 5. c. 3.

Romanorum incoluere, ad Christianismum converso Wittekindo donavit, ab eo *Burggraviatus Magdeburgicus* ad *Saxonia Duces* devolutus est, usque dum post varias illius venditiones & mutationes, teste *Dressero* (61.) anno 1579, inter *Augustum* Electorem Saxoniae & Archiepiscopatus Magdeburgensis Administratorem *Joachimum Fridericum*, Marchionem Brandenburgicum ita convenit, ut Augustus jure eo civitatis, quod Cæsar ad Mauritium transtulerat, cederet, Joachimus Fridericus verò Augusto titulum Burggraviatus Magdeburgici cum bonis ad eum pertinentibus concederet. Diffusè hanc urbem in Chronicis suis descripserunt *Wernerus* (62.) & *Pomarius* (63.) fataque ipsius bellica tam pristina *Dresserus* (64.) & *Merckelius* (65.) quam novissima fereque tragica præter Meteranum Eleutherius, (66.) è quibus omnia hinc referre supervacaneum erit. Magdeburgum sequitur *Hala nostra*, (non in Electoratu Saxoniae sita, uti *Raue* vult & scribit,)\* è pago *Dobrobora* vel *Dobresol* ante hos ipsos septingentos annos, seculi nempe post natum Servatorem 981, ex imperatoria Ottonis II. gratia orta, & ab Ernesto Archiepiscopo *Cor totius Regionis* dicta, cujus situm, dimensionem, statum, ædificia sacra & publica, ut & ea, quæ memoratu digna sunt, cum usque ad hæc nostra tempora Venerandus noster *Olearius* in Halygraphia sua prolixè exhibeat, poteum saltem *Röberianum*, (67.) tricies novies millies millenis nongenties selecies millenis & octingenis vicibus mutandum, unà cum brevi expositione repeto, qui ita habet:

LEX, DUX, JUS, SAL, FAR, PONS, MONS, PAX,  
MEX ibi GREX, VOX.

*Lex*, hoc est doctrina verbi divini pura ac sincera, in sex templis quotidianisque concionibus quarum singulis septimanis triginta ferè habentur; *Dux*, nunc Potentissimus *Electo* Brandenburgicus, cujus virtutes Heroicas & gesta gloriosissima ne ilias capere posset. *Jus*, Tribunal nempe & Regimen, quod Cancellariam vocant, Judicium Ecclesiasticum vel Consistorium, Salinarum Comitatus, Senatus, Dicastrium, Prætoriatum, Burggraviatus &c. *Sal*, qui in pluribus quam centum cacabis coqvitur; *Far*, cultura agrorum fertilium & re pecuaria, quam *Mameranus Lucemburgus* (68.) his verbis deprædicat: Circa Halam ager undique fecundissimus est frumenti & pascuorum, ad Salam fluvium, ut veluti quædam Germaniæ medulla is tractus dici possit. *Pons*, egregiâ arte & longitudine Salæ fluvio superstructus. *Mons*, non unus in civitate ædificiis & extra eam vineis & hortis cultus. *Pax* inter Magistratum & cives aliosque ordines. *Mex*, ob urbium celebrium viciniam, vecturamque salis quotidianam, varia commercia & opificia. *Grex*, inclutum Gymnasium ad cujus erectionem pientissimæ recordationis Archiepiscopus & Marchio Brandenburgensis *Sigismundus* nobilissimo Senatui vacuetactum Franciscanorum cœnobium gratiosè concessit. (69.) *Vox*, in Templis eorumque Organis pneumaticis visu & auditu dignis, variisque instrumentis musicis bene or-

dinata.

(61.) *Matth. Dresserus Isagog. Histor. part. V. p. 417. & Job. Ang. Werdenbagen Rerump. part. 2. c. 21. f. 150.* (62.) *Andr. Werners Chron. des Erzb. Stiffts Magdeb.* (63.) *Job Pomarii Summarischer Begriff der Magdeb. Stadt-Chronicken.* (64.) *Dress. Isagog. histor. part. 5. p. 416. seq.* (65.) *Heinrich Merckels ausführlicher Bericht von der Belagerung Magdeburg.* (66.) *Eucharius Eleutherius in face Magdeburgica* (\*) *Job. Raue in der Weltbeschr. part. 2. c. 17. p. 481.* (67.) *D. Pauli Röber Archi-Diaconi primum Hallensis postea, Concionatoris aulici & tandem Superintendentis Witteb. gen. in Tarmatophylacio Hoffmanni.* (68.) *Mameranus Lucemburgus in itinere Caroli V. ab A. 1545. ad A. 1547.* (69.) *Dn. D. Gottfr. Olearii Beschreibung des Hällischen Schul. Jubel-Fests.*

dinata. *Salza* ad differentiam aliarum ita denominatarum civitatum *major* di-  
 cta, antiquitate celebris, quâ Carolus M. post devictos Saxones Anno 803.  
 Comitatus celebrasse *Letznerus* (70.) refert. *Stasfurtum* ad Budam,  
 ab aliis *statioportus* ad Budam denominatum, pertinuit initio, teste *Spangen-*  
*bergio*, (71.) ad principatum Anhaltinum, à Friderico verò Imperatore hu-  
 jus nominis secundo expugnata & devastata Archiepiscopo Magdeburgico  
 Alberto donata est. *Neostadium Magdeburgense* nec non *Sudenburgum* juri-  
 bus municipalibus propriis gaudentes civitates. *Calba* (72.) vel *Calegium*  
 non procul à Rosenburgo ad Salam situm, solo fertili præditum, & à Theodo-  
 rico Archipræsule arce, vallis & muris egregiis ornatum. *Haldenslebenum* pro-  
 pè Helmstadium ad Oram & Biveram, cujus olim fuit Comes sic hinc dictus,  
 memorante *Kranzio*, (73.) Possedit post eum arcem & dominium Henricus  
 Leo, (74.) cui illud Friderici I. auxiliis à Wichmanno ereptum fuisse *Hoppen-*  
*rodus* annotavit. *Aca* vel *Ucßen* sic denominata à Belgis seu Flandris, (75.) qui ab  
 Henrico Leone & Alberto Urso, expulsis Sclavis ad Albim collocati sunt. *An-*  
*gelus* in Chronico Brandenburgico (76.) refert civitatem à Rege Brennoni  
 ædificatam esse, paruit primùm Saxoniarum Principibus Anhaltinis ex Bernhar-  
 di posteris, oppignorata autem postea Archiepiscopo Conrado variâque for-  
 tunâ agitatâ, tandem Archiepiscopatu constanter incorporata fuit. *Wansleb-*  
*um* versus Principatum Halberstadiensem. *Hadmersleben* olim Comitatus, i-  
 xerunt enim teste Hermanno *Hamelmanno* de familiis emortuis (77.) Ludol-  
 phus, Fridericus, Johannes in *Hadmersleben*. Anno 1416. moritur ultimus Co-  
 mes Cunradus & sic pervenit ad Diocesim Magdeburgensem. *Wettinum* ad  
 Salam cujus conditorem Wittekindum fuisse Autores statuunt, (78.) propri-  
 us quondam Comitatus, ad Archiepiscopatum translatus defuncto absque  
 hæredibus Henrico Comite in *Wettr* ultimo. Pertinent non minus ad  
 hunc Ducatum oppida *Schwenbecca* ad Albim, *Obisfeld* ad Alleram, *Neosorum*,  
*Neumarkt* & *Glauch*, municipia nobis contigua & vicinissima, præfecturæ *Se-*  
*bichenstein* subjacentia, castro illi antiquissimo propè nostram urbem ad Salam  
 sito. Priscis temporibus Comites in *Wersburg* se scripserunt Dominos in *Stein*/  
 quia verò mortuo Eysyco, (79.) ultimo Comite in *Wersburg* & Domino in  
*Stein* Henricus II, dictus cognomine sanctus ex Martisburgica ditione Epi-  
 scopatum fundavit & Dynastiam *Stein* Archiepiscopo Magdeburgensi Da-  
 gano contulit, quia ejus fuerat Cancellarius, dictus est *Sebeckenstein* quasi *Se-*  
*be ich den Stein*. *Wolmirstadium* eo in loco exstructum ubi Ora in Albim se ef-  
 fundit, quo de Carolus M. in expeditionibus suis bellicis dixisse fertur: *Wohl mir*  
*der stäte*. (80.) *Trose* ad Albim, *Löblichuna* altero & *Conaria*, *Rönnern* tertio lapide  
 versus Anhaltinatum à nobis distans. *Alsleben* (81.) quondam Comitatus ad Sa-  
 lam; Gero enim Comes in *Alsleben* vixit Anno Domini 974. de cujus filia  
 Adala Chronicon Brunsvicense (82.) singulare pietatis exemplum recenset.

- San
- (70.) *Letznerus* in vita Caroli M. c. 41. (71.) *Cyriacus Spangenberg* Chron. Mansfeld. cap.  
 249. (72.) *Andr. Angelus* in Chron. March. Brandeb. l. 1. p. 37. & Topogr. Sax. Inf. pag. 73.  
 (73.) *Kranz*. in Sax. l. 6. c. 7. (74.) *Johann Pideritius* in Chron. Lipp. Buntingus in Chron.  
*Brunsv. & Werdenhagen*. part. 3. Rerump. Hans. c. 7. p. 233. (75.) *Dresserus* Isag. hist. part. 5. p.  
 107. (76.) *Andr. Angelus* in Chron. March. Brand. l. 1. (77.) *Hermannus Hamelmann* de Fa-  
 miliis emortuis l. 1. p. 38. (78.) *Dn. D. Gottfr. Olear*. in Halygr. p. 15. & *Helmodus* in Chron. &  
 in ejus supplement. *Arnoldus Abbas Aubeccensis* lib. 1. c. 32. (79.) *Brotuff*. Chron. Martisb. l. 1.  
 c. 11. *Hamelmann* de Famil. emort. l. 1. (80.) *Pomarius* in Chron. Magdeb. *Michaël Saxe*  
 in Chron. Imper. part. 3. p. 14. (81.) *Abraham Squer* in Theatr. Urbium. p. 231. (82.) Chron.  
*Brunsv.* p. 98.

Sandau versus Marchiam, Loburg & Röckern ambæ ad aquam Struma, Lützen-  
walde aliæque fortassis. Archiepiscopales etiam quondam civitates fuerunt  
Dynastiæ ac Præfecturæ Qverfurch, Jüterboch, Dahme, Burek & Egeln, è quibus  
quatuor priores Electori Saxoniam jam olim traditæ sunt (83.) & juxta trans-  
actionem Osnabrugensem in ejusdem ditione permanent, postrema verò in  
Potentissimi Dn. nostri Electoris Brandenburgici possessionem post conclusam pa-  
cem ejusque Principatum Halberstadiensem pleno jure pervenit.

Et cui quæso ignota sunt præcipua hujus Ducatus clinodia ac singularia su-  
stentationis adminicula, Salina copiosissima, quarum quinque in eo inveniun-  
tur, nostræ nempe Hallenses, jam inde à Romanorum temporibus claræ, ex-  
cellentiè ab illarum Comite ac Salisgravio, Magnifico nostro Hondorffio (a) in pe-  
culiari Tractatu descriptæ, & quoad jura quamplurima repræsentatæ ab Ex-  
cellentissimo Heroldo (b) Consiliario itidem Electorali splendidissimo. Quanto  
prælio inter Hermunduros primos earum possessores, postquam indicio pa-  
storis cujusdam porcum è volutabro falso redeuntem & calore solis albescen-  
tem spectantis inventæ fuerant, (84.) & inter Cattos invidis oculis eas lustran-  
tes certatum fit, Cornelius Tacitus (85.) memoriæ prodium reliquit calculisque  
suis confirmârunt Agricola, Brotusius, Albinus. Salinæ Salzenses & Stasfurten-  
ses nobilibus familiis maximam partem propriæ. Salinæ in vico Solen sub Du-  
cali Möllinatus, der Möllen-Bogtey & in Süldorff sub præfectura Wangleben, sin-  
gulæ non hominum labori, sed solius Dei benignitati attribuendæ, quæ licet  
per se summè æstimandæ, ut ipsa sunt & à gentilibus etiam possessoribus fa-  
ctum, qui religione insitâ eos locos, ut ipsius Taciti verbis utar, ubi Sal è mu-  
ria mediante igne coquitur, propinquare cælo, precesque mortalium à Deis  
nusquam propius audiri putarunt, indeque indulgentiâ Numinum illo in amne,  
illisque silvis salem provenire, non ut alias apud gentes eluvie maris arescente  
undâ, sed super ardentem arborum struem fusâ, ex contrariis elementis igne  
atque aquis concretum. Unicum tamen adhuc super est, illudque omnium  
maximum Evangelicum videlicet doctrinæ sincera prædicatio ac confessio, de  
quati paucissima adjecero, finem dicendi faciam.

Non ambigo posteritatem Noachi in Germaniâ veri Dei cultum insti-  
tuisse, & cum primis, ubi venit plenitudo temporis, incolas harum terrarum  
aliquem veræ religionis gustum percepisse, non quidem à Nathanaële, cujus  
Salvator noster apud Joannem mentionem facit, aut Egito, quos finitimis hi-  
sce in locis evangelizasse referunt, sed quod sacra Scriptura testetur, exiisse so-  
num Apostolorum in omnem terram, & ipse gentium Doctor alibi profiteatur  
suo tempore verbum veritatis Evangelii in universo mundo fuisse. Verum  
quam constanter illud amplexi fuerint, eventus docuit, siquidem succeden-  
tibus temporibus in eam idolomaniam prolapsi, ut derelictâ invisibilis DEI  
cognitione, pro ipso creatore res creatas, & quod turpius dictu, fabricam,  
quam manibus fecerunt & palpârunt, nempe sicuti Martisburgi Martis,  
sic Magdeburgi idolum Veneris aliisque in civitatibus alios sibi fictos Deos Deas-  
que veneratisint. Quæ vanissima Ethnicismi superstitio etsi destructis à Ca-  
rolo M. idolis & conversis horum locorum inhabitatoribus abrogata fuerit, ab  
omni tamen malignitate cultus haud fuit repurgatus. Et quid dico repur-  
gatus? Dum miseri vitare Charybdim voluere in Scyllam inciderunt, inque  
novas

(83.) *Limæus Jur. publ. Tom. 4. addit. I. ad lib. V. c. 7. p. 825. §. 83.* (a) Dn. D. Frid. Hondorffii  
Beschreibung des Hällischen Salzwercs. (b) Dn. D. Joh. Christoph. Herold tractatu de  
Jure Repræsentationis & Transpositionis. (84.) Dn. D. Gottfr. Olear. in Pent. Orat. pag. 110.  
(85.) Cornel. Tacitus l. 3. Annal. c. 57.

Xg 2009 7A  
novas & æqvè perniciosas, si non peiores tenebras sunt abrepti, dum idoloma-  
niam paganam in Pontificiam converterunt, & loco Martis & Veneris Mauri-  
tium, Catharinam, Mariam Magdalenam coluerunt, donec tandem ex im-  
mensa Dei bonitate Megalander Lutherus excitatus, sese Pontifici Romano  
opponere, & magnâ Spiritus dexteritate errores ejusdem taxare ausus est, un-  
de factum, quod Archipræsul *Albertus*, Marchio Brandenburgicus sinceræ re-  
ligionis & invariatae Augustanae confessionis exercitium permisit. (86.) O in-  
enarrabile Dei beneficium, quo clementer nos beare voluit, ut ex limpidi-  
mis Israëlis fontibus purissimum jam verbum salvificum haurire & fidem no-  
stram informare valeamus.

Hæcce in Ducatum Magdeburgicum à Deo propitio collata  
beneficia grato agnoscimus animo & Serenissimo nostro Duci Po-  
tentissimoqve Electori in tot & longè ultra ducenta milliaria se ex-  
tendentium terrarum florentissimam salutem, vitam prolixam, im-  
perium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem,  
populum probum, orbem quietum more primitivæ Ecclesiæ hu-  
millimè ac devotissimè apprecamur. DIXI!

(86.) *Sethus Calvisius in Chronol. p. 837. & Job. Saubertus in Miraculis Aug. Conf. p. 153.*

Dum novum, *Polite Schubarte*, opus moliris,  
*Novum Germania Ducatum* delineando,  
nemo novum Tibi opus nunciat,  
non fama melior, quæ orbi erudito id ipsum nunciat.  
Alter mihi Florus videris,  
qui res Pop. Rom. per septingentos annos gestas descripsit;  
Tu per totidem annos florentem Archiepiscopatum,  
nunc Ducatum Magdeburgensem  
nostro quippe *seculo seculari*

sub Sceptra  
SCEPTRIGERI POTENTISSIMI  
bellè depingis,  
in bella tabella,  
non secus ac ii qui terrarum situs.  
Operæpretium est novum hoc opus cognoscere,  
cum turpe fiet Patricio,  
Patriam & Patriæ, in quâ versatur jura ignorare.  
Euge verò flore Flore alter,  
Et quæ unâ voce parenætica Temet in Academiam abiturientem  
In Academiam omnium virtutum mitto,  
Patriffa!

f.  
Christianus Biccus, Syndicus Hall.  
ibidemqve Scholarcha.





F. 24. 20, 1.

Xa  
2061a

# ARCHIEPISCOPATUS X 2003611 PARTHENOPYRGICUS SECULARISATUS,

# NOV

# DU.

# C MAGD

# S ICUS,

# SERENISSI ELECTOR SINGULARI NUM

# ENTISSIMO URGICO I PROVIDENTIA

# IPSO HOMAG DIE NI

# TEMPORE, JUNII

# ARCHIEPISCO

# NISTRATOR

# SUBIECTIS

# IONIS ERGO

# ORAT

# NCISA

# ELIA A

# BARTO,

LITERIS & SUMT

E.  
I, TYPOGR. AULIC.

Editio altera,

